



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 6. Eadem Constitutio a quibusdam Germaniæ Episcopis acceptata-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

unacum Papa omnes damnandas esse, Sæc. XVIII. A. C. 1713.
 nihilominus Cardinalis Rohanius Noail-
 lio scriptum tradidit, de modo acce-
 ptandi hanc Constitutionem, & de ex-
 plicationibus eidem adjiciendis: Ad-
 huc dum Episcopi desuper deliberabant,
 cum Rohanius Cardinalis die vigesima
 septima Decembris in postrema hujus
 anni sessione declararet, Regem præ-
 cipere, ut soluto conventu Constitutio
pure & simpliciter acceptaretur, nec ulla
 explicationum mentio fieret. Cete-
 rum, quæ hac in re postmodum acta
 fuerant, ad annum sequentem revo-
 camus.

§. VI.

*Eadem Constitutio a quibusdam Ger-
 manicæ Episcopis acceptata.*

Haud cunctabatur Pontifex præfatam Refut. du
 suam Constitutionem ad omnes Mem. t. 2.
 Europæ Catholicæ Episcopos trans-pag. 76.
 mittere, postulans, ut ab omnibus ac-
 ceptata executioni daretur: Magis pro-
 pensos experiebatur Germanicæ Episco-
 pos, quos inter primus Carolus Tre-
 virensis Archiepiscopus atque Elector
 hoc anno die secunda Novembris ad
 Abbatis Borgiæ Coloniensis Nuntii,
 qui dictam Papæ Constitutionem die
 vigesima secunda Octobris transmise-
 rat, literas respondens, testabatur, se

Sæc. XVIII. omnem adhibiturum operam, ut eadem Constitutio in tota ejus Diœcesi observetur. Ea ex causa Joannes Matthias Rosmensis Episcopus ac præfatus Archiepiscopi Suffraganeus & Vicarius Generalis edito decreto die vigesima secunda Julii anni sequentis, cunctis sub anathematis pœna inhibuit, ne Quesnelli reflexiones deinceps retineant, vel propositiones damnatas festinare præsumant, sed cuncta damnata libri exemplaria intra mensem eidem Suffraganeo consignent: ipse autem Archiepiscopus die vigesima tertia Februarii Anno 1715. & undecima Junii Anno 1717. soleinni edicto Bullam hanc, ceterasque contra Jansenismum editas accepit, promulgari atque executi jussit. Ejusmodi etiam tenoris edictum Joseph Clemens Archiepiscopus, atque Elector Coloniensis die decima quinta Novembris hoc anno edidit, & Pape Constitutionem in Leodiensi Diœcesi promulgari præcepit; eam vero in Coloniensi Urbe ac Diœcesi debite publicatam, & ubique ea, qua par est, reverentia sine ulla oppositione aut remittentia receptam fuisse, die vigesima octava Decembris Coloniensis Electoris nomine testabatur Joannes Arnoldus Coloniensis Vicarius Generalis: cum autem super Quesnellianis propositionibus

nibus in Belgio variæ fuissent exortæ ^{Sæc. XVIII.}
 contentiones, pluresque libelli Papæ ^{A. C. 1713.}
 Constitutionem impugnantes non sine
 priorum offensione & imbecillium per-
 turbatione in utramque Diæcesin pe-
 netrassent, hinc Coloniensis Archiepi-
 scopus die vigesima nona Januarii An-
 no 1715. omnibus, & speciatim Bi-
 bliopolis præcepit, ut a periculosis
 ejusmodi contentionibus, quarum e-
 nodatio ad sanctam Matrem Ecclesiam
 pertinet, tam publice, quam privatim
 abstineant, & ejusmodi libellos ex æ-
 dibus, suisque manibus confestim ab-
 jiciant, & ad Vicarios Generales de-
 ferri curent, nec eos emere, vendere,
 legere, retinere, vel servando aliis
 tradere præsumant. Insuper Henricus
 Josephus Rhodiopolitanus Episcopus,
 & Hildesiensis Vicarius Generalis hoc
 anno die trigesima Octobris, necnon
 Henricus Harlardus Spirensis Episco-
 pus & Joannes Philippus Herbipolensis
 Episcopus die quarta Novembris, ac
 denique Franciscus Arnoldus Monaste-
 riensis & Paderbornensis Episcopus da-
 tis ad præfatum Papæ Nuntium literis
 testabantur, quod in eorum Diæcesibus
 prædicta Bulla rite promulgata ab om-
 nibus promptissimo obsequentis animi
 affectu fuerit recepta.